

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Reinboth Theodor Schambach

Quod Deus bene vertat Disputatio Philosophica De Deo

Rostochi[i]: Reusner, 1634

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729457729>

Druck Freier  Zugang



R 4 phil 1634.
Johann Reinboth
Theodor Schambach



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729457729/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729457729/phys_0002)

DFG

Universitas
Quod Deus benè vertat.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
DE DEO

QUAM

Permissu Amplissimi Senatus Philosophici Academie
Rostochiensis;

P R A E S I D E N T E

Præstantissimo, doctissimog̃ Viro,

Dn. M. JOHANNE Reinbothi

Publico Examini subiicit

THEODORUS Schambach.

Habebitur Disputatio die 28. Junij, Anno 1634.
in Auditorio Majori horis confuetis.

ROSTOCHI,
Typis JOHANNIS REUSSNERI.

inclusus est sedam non enim illa. - Propter hanc uerba sunt ergo gengifex
et medecine & medicis. In recte corporis geny nichil utrum ex formam
ex uirilis & manu ex formam propterea.



VIRIS

Plurimum Reverendis, Excellentissimis

D N. JOHANNI QUISTORPIO, S. S. Theo-
logiae D. & Professori P. ejusdemq; Facultatis Seniori
spectatissimo, & ad D. Mariae Ecclesiastæ
vigilantissimo,

D N. M. STEPHANO Clotz/ Theologiae Pro-
fessori Ordinario itidem clarissimo & ad D. Jacobi
Ecclesiastæ dignissimo,

Præceptoribus, Promotoribus, & hospiti
Hoc Philosophicum

D E D E O.

Exercitium

Sacrum soluerunt, iussueruntq;

M. Johann. Reinboth/ Præses,

&

Theodorus Schambach/ Author & Respondens.

1800 1204

THESES I.



Uando de Deo hanc nostram instituturi sumus dissertationem, non dubitamus, quin omnes, propositi nostri rationem recte perponderantes, nobilissimum illud Ens sint intellecturi, quod & reliqua omnia superat, & à quo, tanquam primo Autore reliqua omnia pendent, Cœlum & natura Aris. 12. Met. text. 38. quod proinde ut supremum Numen colendum est, ac venerandum. Hic n. est vulgaris & quasi ab omnibus approbatus conceptus, quem de Deo formamus, auditio nomine Dei. Suarez Disp. Met. 29. f. 2. Ideo què si diu in tollendâ vocabuli ambiguitate persisteremus, quid aliud fecisse videtur, quād desertā causā, ut ajunt viciſſe?

II. Absurdius esset, quæſtionem An sit? de Deo movere. Quis enim illum existere unquam negabit? Qui se undiqueaque conspicuum fecit, & in omnibus rebus sese pinxit, & in hominis præsertim animo impressit, & expressit. Morn. l. de Ver. Rell. Christ.

III. Fuisse quidem nonnullos, qui immediate, & directe Deum negarunt, testantur Cic. l. 1. de Nat. Deor. ut & l. 3. circ. fin. Augustin. l. 3. cont. lit. petil. c. 21 Lact. l. 1. Divi. Inst. c. 2. Qui Diagoram Melium, Theodorum Cyreniacum, & Diogenem à̄d̄ess fuisse notarunt. Protagoram Laertius in Vita ipsius introducit, librum quendam exorium fuisse in hanc sententiam. Dij sint nec ne satis statuere non possum. Vid. ille l. 2. l. 4. & l. 9. de Vit. Phil. De Cœlio idem statuit Martial. l. 4. Epig. Videantur plura apud Zyring. in Theat. Vit. Vol. 17. l. 7. p. mibi 3188.

IV. Verūm enim verò de ijs statuit Mornicus l. C. Idola eos & Gentilitios Deos potius risisse, quam verum Deum negasse: De Diagora namq; recenset, eum cum Herculis statuam foco apposuit, et

A 2

fuisse,

suisset, scitè dixisse; in hoc decimotertio agone, ut quondam Euhemero, mihi inservias oportet. Atq; sic in ligneum Deum jocatum fuisse. Sic verò ordiri Poëma suum: Quod à Numine summo reguntur omnia. Plura notavit de Euhemero Tegeate, & alijs, quos apud illum videas.

V. Multos verò mediatè & indirectè Deum negasse, ipse testis est sacer codex, quatenus vel factis negant Tit. i. v. ult. perversisq; suis actionibus, vanis ratiocationibus insipiens cor ipsorum obtenebrant, & mutant gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis, & volucrum, ac quadrupedum & reptilium Rom. 1.v.23. Coluntq; & servant rebus creatis v. 25; vel quatenus saltē optant & volunt [ita enim verbum Υἱὸν reddi posse, loca ex Exod. 2.v.14, 2.Sam. 21.v.16, 1.Reg. 7.v.12. evincunt.] In corde suo non esse Deum, uti Psaltes Psal. 14. v.1. & Psal. 53.v.1. inquit. Hinc Augustinus in Commentariis super hos Psalmos: In corde quidem insipientes illi Deum detestantur, quamvis impiā sententiam suā exprimere voce non audeant.

VI. Si qui verò sunt, qui per impietatem, sacrilegium, blasphemiam per insensilem stuporem & stoliditatem Deum suis linguis abnegant, in ijs non tam taxatur defectus notitia, quam affectus malitia, & Mornæus in Præf. statuit, ratiocinando proprii illos non tam peccare, quam ratiocinandi defectu; non quia abutantur ratione, sed quia non utantur prorsus. At verò tales nefandos Effectoris sui abnegatores; quos Avicenna non tantum ratione carere dixit, sed & sensu; Conscientiae stimulus, qui hebescere & extingui nequit & apud se, reos quotidie peraget & ad Dei tribunal subinde citabit. Nos verò qui stoliditatem illam hominum [si modò humano nomine digni censendi sunt] merito admiramus & detestamur hic contra eos ratiocinando non disputabimus, sed ad magis arduas nos conferentes quæstiones, benevolum Lectorem, remitteremus ad Autores, ubertimè hosce magis quam bestiales homines revellenres, imprimis Mornæum L.C.Suar. Disp. Meth. 29. Mendoz. Disp. Met. 20. & alios paulò post citandos.

VII. Jam cum de existentia dubitare amplius absurdum & impium statuamus. Quaritur ulterius, An & quomodo Numen

men hoc existens cognosci possit, ubi primū nemini non notum est, Cognitionem Dei aliam esse naturalem, ex libro Naturæ, sine ulla speciali spiritus S. gratiâ & illuminatione petitam; aliam vero supernaturalem, & revelatam ex libro scripturæ & principijs supernaturalibus acquisitam. Aug. l. 8. de Civ. D. c. 1. Posteriorem ad Theologiam sacrosanctam pertinere atq; sic hujus loci non esse, non nisi cœcus non videt. De priori verò quæstio hodieq; instituitur, numne detur? Ubi tamen diversissimas notavimus opiniones,

VIII. duq; Prima Opinio est Neophotinianorum, qui omnem Dei cognitionem naturalem homini denegant. Inter quos principatum tenet Socinus. Qui in prælect. t. 2. p. 3. Receptior, inquit, hodie sententia est, homini naturaliter ejusq; animo insitam esse divinitatis alicujus opinionem, cujus vi cuncta regantur ac gubernentur, quæq; humanarum rerum in primis curam gerat, hominibus consulat atq; prospiciat, quam sententiam nos falsam arbitramur. Vid. etiam Resp. ad Object. Cutenij. p. 86. Sequitur illum Ostorodus inst. c. 7. p. 10. *Dass die Menschen von Gott oder von der Gottheit etwas wissen / das haben sie nicht von der Natur / noch auf der betrachtung der Schöpfung.* Suppeditant & hisce fomenta Flacius, hominem de Deo naturâ non plus scire statuens, quam brutum. in Clav. script. Voc. Lex. Et Petrus de Aliaco in t. disp. 3. q. 3. art. 2. & 3. Citant, Suar. disp. 29. s. 2. & Gregor. de valentia. Tom. 1. disp. 14. q. 2. p. 2. ut & Vorstius in Exeg. Apol. c. 1. Nec non Calvinus & Heshusius teste Bellar. l. 4. de grat. & lib. Arb. c. 2. Adde Tostatum in caput 5. Exod. Rabbi Moyse lib. 6. c. 6. sue. Philosoph. ut habet Suar. l. c. Videatur & Thomas l. u. contr. Gentil. c. u. & 12. & de Verit. q. 10. art. 12.

IX. Huic opinioni extremè opposita Affirmativa non omnium una est eademq;: Quidam enim cum ipsis naturalis notitia sit ingenita vel acquisita dicunt vel utramq; dari vel habendum saltem unâ videlicet acquisitam. Non nulli ex ijs, qui ingenitam etiam concedunt notitiam ut Anselmus in Prolog. c. 2. & 3. & l. con. Infipientem. teste D. Thoma. & Damascenus l. 1. de fide c. 1 & 3. [quamvis ejus verba Thomas primâ parte q. 2. art. 1. sensu explicet] ex eo fundamento Deum esse etiam non posse

posse demonstrari contendunt, cum id sit per se notum. *Suar. disp.*
29.8.2. §.3.

X. Alij hominem Ethnicum de Deo cognito mera falsa, mera mendacia statuere eridunt, etiam si illa quæ cognoscit, quo ad rem & nos, qui Christiani sumus interdum sint verissima,

X. I. Alij tandem, sicuti primæ & negativæ Opinioni ad dicti in defectu, ita illi in excessu peccant; dum naturalem Dei cognitionem ad vitam æternam consequendam sufficere contenderunt; ut Monachus quidem Franciscanus in Concil. Trid. Anno 1552. fecit, qui in explic. c.2. ab Rom. pro concione publica dicere ausus fuit; Gentiles etiam sine cognitione Christi salvatos fuisse. *Soleid. l.23. Comment. Theobald.* Tam merus itidè id latè probare conatur, quem errorem & Roterodamus alius videtur in Colloq. Relligios. Cum talia lego, inquit, vix me temporo quin dicam, sancte Socrates, ora pro nobis. Respondet alter, at ipse mihi sapè numerò non temporo, quin bene omiser, sanctæ animæ Maronis & Flacci, videantur plura plurimum testimonia apud Dn. D. Gerhard. loc. 2. de natur. Dei & attrib. c.4. fol. 69r. & seqq.

X. II. Hic ut veritati consulamus, errorumq; Patronos fugere discamus, veram nostram ponimus sententiam, quæ Deum dicit præter spiritus sancti specialem & gratiolam illuminacionem naturaliter cognosci, illam vero cognitionem ad salutis æternæ futuram possessionem minimè gentium facere posse.

X. III. Probatur hæc assertio tum ex scripturâ sacrâ, quæ ne in alieno negotio depugnare, atq; Theologis ægrè facere videatur, à nobis non citatur, missis aviditate sciendi plenis ad ipsos sacrarum literarum præcones & Doctores, imprimis Dn. D. Gerhardum L. C. tum etiam ratione & experientiâ omnium rerum magistrâ.

X. IV. Pro acquisitâ Dei notitiâ pugnarunt rationibus haud infirmis supra §.6. allegati autores, quibus adde Thomata part. 1. q. 2. A. 3. Lomb. l.1. dist. 3. Schröder. part. 2. lib. de princip. Theol. & natur. Dei notit. End. Viv. de verit. fid. Christ. Rymund. de Sabande in Theol. nat. &c.

X. V. Deum, vero notitia omnium hominum mentibus naturali, id est ex libro interno naturæ aliquantulum cognosci, nemo,

nemo, nisi qui statuit scintillulas ἐνόπερ τοιούν, quas Sophocles nominat, αὐγεσταὶ οἵ τις φαλῆρος νόμιμα εἶ Arist., δίκαιον αὐγεστοφοι lib.8.Eth.c.3. & lib.1.Rhet.c.15. δίκαιον, φυσικὸν, s. Eth. c. 7. νόμον τοιούν. & Rhet.c.10.13. & 15. νόμον αὐγεστοφοι in Rhet. ad Alexand. c. 2. in humano genere planè extictas esse, inficias ibit. Quis enim ὁ homo legem illam, juxta q̄iam vivis, q̄iam transgredi absurdum, inhumanum & insanum putas, quæ tibi non ab extrinseco aliquo vel homine docente vel creaturâ cogente, vel alio quoquo genere acquisitionis sed animo, ultrò sic sentiente & corde movente venit, quis inquam hanc primum animo tuo impressit? quis te tibi ipsi legem esse docuit, nonne agnoscis aliquem superiorem νομοθέτην? quis, si magistratum præscripsisse dicis, imperatori tuo frenos iniicit? Nonne Deus? quem si non veneratur, si non timeret, vñ esset omnibus subditis ab illo, quem lex humana non alligat.

XVI. Sed & Conscientia mille testes. Hæc te Deum tuum Judicem & vindicem agnoscere coget, si vel maximè insana tua stoliditas, vel contemplationis rerum creatarum contemptus & negligentia, vel doctrinæ & revelationis defectus & ignorantia, illum te cognoscere non permitteret, cur ita nullum ahius humanum metuens judicem tremis? ita trepidas? quid te cœcis ita tormentis excruciat, cur tibi de poena facinorum omnes homines latentium metuis, scilicet mordens conscientia, divinum quendam & ignotum Judicem indicat, cuius nunquam transfilire plagam poteris. Illa est, cuius vim miratur maximam Ethnicus in utramq; partem, ut neq; timeant, qui nihil commiserunt & poenam semper ante oculos versari putent qui peccaverunt Cic. in Orat. pro Mil. Hinc Trojani naufragi ad Carthaginis littora appulsi inquiunt:

Si genus humanum & mortalia temnitis armas

At sperate Deos memoris fandi atq; nefandi.

Et Plaut. in captiv. act. 2. Scen. 2. Est profectus Deus, qui quæ nos gerimus audiq; & videt.

XVII. Socinus ipse concedit omnibus naturaliter, inesse aliquod justi & injusti discrimen, ab omnibus cognosci justum injusto anteponi debere, honestum turpi posse tamen hominem obediare legi dicit & sic obedientiam Deo præstare etiam si Deum ipsum non esse quidem cognoscat aut cogitet. Ast

verò

vero quānam illa esset obedientia: quā Deo obediāt, illū tamē
nesciat. Obedientia enim necessariō includit respectum inferioris ad superiorēm legiūlōrem; ipsum namq; internū conscientiā testimonium illud justi & injusti discrimen separate minime potest.

XVIII. Nec est, quod dicas in infantib⁹ se non exere-
re illam Dei cognitionem & in atheis quibusdam eam ad tem-
pus supprimi: respondemus, enim infantib⁹ denegari actum
secundum non actum primum; in Atheis autem non tribuendum
hoc esse ignorantia simplicis negationis, sed pravæ dispositionis.

XIX. Perpetuus tandem omnium gentium consensus,
qui Ciceroni i. Tusc. instar legis naturæ putand⁹ est, Sociniani
illius erroris absurditatē satis superq; demonstrat. Fieri enim
non potest, quin ejusmodi consensio partim ē communibus no-
titijs, quæ naturaliter omnib⁹ sunt impressa partim ē conscientiæ
testimonio suum ducant originem, prodeat in medium & nomi-
ne omnium gentilium testis sit locupletissimus Cicero, is doce-
bit te 2. de natura Deor, omnibus innatum esse & quasi insculptum,
esse Deum, & Arist. l. 1. de cael. text. 22. dicit mārtes ἀρχαὶ θεῶν
εχοντες τοιανδιαν.

XX. Quod vero nemo naturali cognitione cō perve-
nerit, ut salutarem Dei cognitionem acquisiverit, & æternæ beatitudo-
nis particeps factus fuerit id Theologis disputandū relinqui-
mus, cum ijs confitentes, absq; fide neminem placere Deo, nem-
inem juvare cognitionem ullam ad vitam æternam, si Christus ne-
sciat, qui fons, qui ostium æternæ beatitudinis, in quo salus no-
stra, extra quem nemo Deum videbit à facie ad faciem.

XXI. Quod sententiam s. jo. recensitam attinet, illa nul-
lo procedit fundamento, si distinguere sciamus inter conceptum
& conceptus applicationem, tum enim recte cum Apostolo Rom.
i. v. 18. Ethnicos veritatem docuisse, cum Luther⁹ quoq; divini-
tatem cognovisse sed illam non recte applicasse pronunciamus.
Alias pueris notum est veritatem rerum nō à subjecto sive eo, qui
aliquid concipit aut verbis profert pendere; sed ab objecto ve-
rum habet, quod sit verum: Si cum objecto convenit judicium
intellectus sive Oratio, veritas est simpliciter, si non convenit,
falsa.

falsum est, quicunq; ille sit, qui concipiatur vel dicat. Quando itaq; Ethnicus dicit: Deus est Ens independens æquè hoc convenit cum objecto atq; cum Homo renatus idem dicit. Cut igitur ab Ethnico, prolatum non sit æquè verum atq; cum à renato dicitur? Videatur eruditus Gravverus in Tractat. de una & simpl. veritat. contra Hoffman.

XII. Triplex porrò via patet Dei cognitioni naturali, prima via est causalitatis, qua operationes divinæ divinam nos faciunt cognoscere essentiam, hinc illum vocamus creatorem, conservatorem, gubernatorem &c. altera via est negationis, quâ quicquid imperfectionis creaturis accedit id omne perfectissimo huic Enti denegamus, veluti cum dicimus Deum esse infinitum, incorporeum &c. Tertia demum via est eminentiæ; quâ quicquid in creaturis aliquam habet perfectitudinem, illud eminenter perfectum in Deo esse cognoscimus. Ut Omniscentia, Omnipotencia &c.

XIII. Præterea cum quoq; in genere triplex sit cognitionis Dei, 1. Comprehensiva, 2. Confusa, imperfecta & aliquâlis, 3. Quidditativa, quâ Essentialis Dei atq; proprius conceptus clarè & distinctè cognoscitur. Mend. de anim. disp. 10. §. 3. §. 17. disp. Met. 20. S. 2. §. 19. de primis duobus cognoscendi generibus omnes conveniunt, solum de hoc ultimo quæstio movetur: Utrum humana ratio illud assequi possit.

XIV. Acerimè sane disputatum est hac de materia inter Philosophos, qui duas extremè oppositas inter se alunt sententias. Una eorum est, qui hominibus quidditativâ Dei cognitione planè quasi interdicunt. Quorum duces se præbent Thomas locis infra citandis, Fonseca, Antonius Ruvius, Vazquez, Raphael Aversa, Javellus & alij. Altera est Scotti infra allegandi, Mendozae Avempa. Themist. Alex. &c. Qui pro affirmativa sententia tanquam pro aris & focis strenue pugnant.

XV. Hæc ut & subsecutura Controversia perplexos nos admodum faciunt, ita ut inter sacrum lxxumq; quod a junt, consistamus, nec quid dicendum sit faciendum q; sciamus. Nam & rationes ab utraq; parte sunt admodum prægnantes, & Viri certant inter se doctissimi, gravissimiq;. Ita ut nonnulli Metha-

et quæ physicorum hanc Controversiam potius siccō quod aūt p̄-
terire pede, quam mentem suam declarare hoc in bivio volue-
rint? Evidēt fateor, si ex affectu magis, quam juxta rei na-
turam & veritatem hic procedere vellemus, res declaratū fa-
cillima esset. Non enim inficiām̄ur, sententiam illam priorem, &
negativam plerisq; ferè Philosophis hodie communem esse, ac,
si inde judicare vellemus veriorem & p̄stantiorem, at v̄rō fe-
lix [proverb. est] Corinthus, magis arridet, placetq; ani mo-
nistro ea, quæ non autoritatem sed rationes, non plurium assen-
sum, sed veritatem sequitur. Ubitamen testamur, nos sententiae
huic vel alij non ita patrocinari, ut invictos nos planè statuamus
esse, rationesq; audire firmiores recusemus: Cum enim & libere
philosophari & saepius haud probabilem opinionem exercitiū
gratiā tueri omnibus æquè sit liberum concessumq; eā nos licentiā
quoq; uti & cum non leves nobis occurrant ratio nes, quibus ad
subscribendum communi sententiae absterremur, illas hic in me-
dium producere voluimus; promittentes, nos ultrō citroq; ve-
riora demonstratis manum daturos esse. Non enim quan-
do semel redarguti fuerimus, nihil secius lapsam complectemur
sententiam, non agnoscentes nos concidisse, quod facere nonnul-
li suerunt, similes vulgaribus istis palæstritis, qui dejecti à
luctatoribus & humili jacentes supini tantum abest, ut lapsum
agnoscant, ut etiam cervices eorum à quibus dejecti sunt, tene-
runt non finentes illos avelli, ac vel ita se vicisse arbitrantur.) Pe-
nitimus itaq; nos, ad audiendum & rationibus parendum para-
tissimos, humaniter & benevolè audiri, ne de licentiā libere phi-
losophandi nobis admītā conqueri habeamus.

XXVI. Quod itaq; propositam spectat questionem,
Dicimus i. Cognitionem Quidditativam aliter Thomæ appellari,
Hic enim i. Part. q. 88. a. 2. & 3. Cont. gen. c. 54. notantibus ita
Ferrarrā & Caij. Quidditativam cognitionem illam dicit, per
quam cognoscuntur de re omnia prædicta Quidditativa usq;
ad Differentiam vel quasi differentiam ultimam, eam concipiendō
proprio & positivo conceptu. Ille v̄rō i. Sent. dīst 3. Citante
Fonsec. l. 2. c. 1. Quæst. 2. & Suar. Met. Disp. 30. f. 12. n. 4. & 5. eam
dicit

dicit esse talem cognitionem, quā de re cognoscitur, quid sit concipiendo aliquod prædicatum quidditativum ejus, non tantum ut commune, sed etiam ut proprium, sive concipiatur per positam rationem, vel repræsentationem, sive per negationem.

XXVII. Eadem est Explicatio Mendozæ disp. 10. de animis
S. 3. §. 17. *supr.* §. 23. allegata, adde Disp. Met. 20. n. 19. ubi hæc habentur verba. Opus est, inquit, ut rem concipiamus quidditativè in aliqua differentiâ quasi completa; quæ sit radix & origo attributorum: Non enim sufficit quivis conceptus proprius ad constituendam naturam, sed ille, qui non attribuitur alijs, neque ab eis oritur oratione nostrâ, sed à quo cæteri, ut patet, tum in homine, cujus risibilitas non est quidditativus illius conceptus, quia oritur ex rationalitate, tum in Deo, cujus relationes, & justitia non sunt quidditativus illius conceptus. Recurrentum ergo ad primam unam radicem cæterorum: nam conceptus secundarij sunt attributa, quia attribuuntur primarij, attribui autem est ejus adscribi primarij, illum reddendo pro prima radice cæterorum. Hæc ille,

XVIII. Dicimus inde secundò rete cum Cajet. & Ferrar. Fonsecam L. C. annotare, nihil inter Scotum & Thomam, eorumq; sectatoribus dissidij esse, dum in proposita quæstione alter negat, alter affirmat: lis etenim solum illis est in usu nominis vel in terminis, ut Javellus vult.

XXIX. Tertiò dicimus , Scotti & Mendozæ mentem , nostram nos facere , qua illam rem quidditativè cognoscere pronunciamus , qui conceptum communem essentialē proximum cognoscit , cum proprio prædicato essentiali , quod radix est omnium prædicatorum , quæ ab aliquo cognoscuntur , vel saltem lumine naturæ cognosci possunt . Necessariò hoc præsupponimus , ne in æquivocationes vocabuli difficultas aliqua nobis relinquitur .

X X X. Jam verò talem Dei cognitionem quidditatem dari, liquet exinde, quod habemus talem conceptum essentialem communem, proximū, videlicet spiritum, & proprium, videlicet independentiam; illa enim est causa virtualis & principium
partes divinas, et rationales, &c. B. 2. acer. in. Demon-
di. Vnde & frater quodvis intellectus inquisit natus non sit capax
reformandi spiritus & corpus meum, & ex corporay exponit in se, si
cere a fratre & gaudijs p. 17. exopt. hanc exponit in se,

Demonstrationis [sequimur hac in parte explicationem Cx-
jetani lib. 1. posterior c. 2. quam hodie authores Communiter tu-
entur. imprimitus Suar. Disp. 1. s. 1. n. 27. & sect. 5. n. 37] omnium
atti butorum videlicet Omnipotentiae, aeternitatis, immensitatis,
actus purissimi, infinitatis &c. nam ideo dicuntur haec in Deo
esse, quod Deus est a se sive independens.

XX XI. Regerit hic Javellus lib. 2. Meth. q. 3. ex Thoma,
Illam Cognitionem esse quidditatis, non autem quidditativam
vel quantum ad quod quid est, Verum cognitio quidditatis [jux-
ta Mendozam cuius explicationem hic retinemus] quovis modò
rei tantummodo attingit essentiam; id quod dicere de conceptu
communi essentiali proximo & proprio sive de clara & distincta
cognitione non valemus, per illum enim conceptum communem
solum clarè distincteque; & sic consequenter quidditativè rem
non cognoscimus.

XX XII. Si enim per prædicata essentialia tam com-
munia quā propria homininem quidditativè cognoscimus, quid
obstet, quo minus hoc de Deo afferere possimus. Eādem namq;
ratione procedit intellectus noster in inveniendis prædicatis
essentialibus substantiarum aliarum, qua in Dei; nimis homi-
nem ut hominem intuitivè aequè ac Deum cognoscere non potes,
sed per accidentia & operationes ejus de attributis & principijs
judicare; & quod ipsi commune est, quodq; proprium prædica-
tum investigare oportet.

XX XIII. Hæc cum se ita habeant, judicet unusquisq;
sanæ mentis homo, etiam cui prima Philosophia nomine saltem
e cognita est; cum Definitio nihil sit aliud, quam oratio, quod quid
erat esse significans Aristot. 1. Top. c. 4. id est explicatio objecti [Es-
sentiæ aliquis] per prædicata essentialia: numne perfecta Defini-
nitio Logica Deo competat, quando per conceptum communem,
[qui conceptus Generis loco stat aut stare debet,] & proprium
[quod Differentiæ loco stat aut stare debet,] Deum definit, quod
videlicet sit spiritus a se vel independens? cum namq; perfecte
Dei essentia per hunc conceptum attingatur & declaretur perfe-
ctione tamen eā, quæ lumini rationis attribui debet & ab hoc
lumine etiam proficiisci potest, imperfecta sanè non poterit esse
Definitio.

34. Non-

X X X I V . Nonnulli quidditativam cognitionem & inde definitionem in nobis annihilare conantes hoc argumento procedunt. Si Deus quidditativē cognosceretur, & definiri posset, necessariō esset directē in aliquo Prædicamento. Sed ut postrius absurdum importare videtur, ita prius concedi nequit.

X X V . R^e Nobis inde nullam oriri absurditatem, quando directē Deum sub Prædicamento substantiæ contineri statuimus, prænotando 1. Prædicamenta nihil esse aliud, quam classes prædictorū, quibus res universæ sub objecto Logicæ contentæ, suo ordine dispositæ collocantur per suos conceptus ab inferiori ad supremum. 2. Substantiam nos considerare non ut est cum Imperfectionis concretione, sed uti abstrahit ab omni imperfectione. 3. Dei in Prædicamento constituti non essentiam coarctari, sed prædicata actu claro & confuso conferri & sic seriem aliquam illorum prædictorum constitui. 4. Deum esse individuum non determinatè consideratum, quatenus sit subiectibile speciei infimæ; sed intentionaliter sumptum seu absolutē sic dictum, quod nimirum est indivisibile in plura talia, quale est ipsum.

X X VI . Hisce præsuppositis & bene perponderatis possum afferere, Deum esse in Prædicamento. Hanc conclusionem ille facile concedit, qui genuinam Prædicamentorum naturam & cur ab Aristotele & alijs Philosophis Logicæ sint inserta callebat.

X X V I I . Scilicet, cum Disciplinarum Practicarum indoles requireret, ut objectum Operationis, secundum caput ultimum lib. 1. Eth. ad Nic. & c. 4. l. 7. Pol. præsupponeretur, & ὡς εὐ πόνω c. 3. Cathegor. μέχεται text. 22. & 26. l. 2. Phys. & τέταρτη χάρακη ἐφ ἵσον οὐκανάς ἔχει πόδος & γητέμενα explicaretur; etiam Logica debuit hoc modo subjectum operationis subjungere.

X X V I I I . Cum autem Aristot. & alij Philosophi animadverterent Objectum hoc latissimum esse & extendere se ad res omnes tam materiales, quam immateriales, ita ut intellectus propter dictarum rerum multitudinem, varietatem, tumultuariam etiam dispositionem & dispersionem vix sese extricare valeret, voluerunt illius imbecillitati Logici succurrere & inter hos imprimis Aristoteles illud latissimum objectum in Anteprædicamen-

is [c. 2. sc. lib. Categor] generalissime propositum in certas clas-
ses distribuere & determinatis cancellis inclusum ob oculos po-
nere, prædicata imprimis essentialia, illarum rerum ita ordinare,
ut quilibet posset videre ad quamnam classem quælibet res perti-
neat & cum quibus & in quibus conveniat & à quibus differat.
Convenientiam quidem in Conceptibus essentialibus communi-
bus, inde linea recta. Differentiam verò in Conceptibus Essentiali-
bus proprijs, inde linea collateralis,

X X X I X . Jam quilibet cordatus judicet, annon Deus
contineatur sub Objecto Logicæ. Certè cum ipsi notiones se-
cundæ Logicæ possint imponi [est enim Nomen Logicum, po-
testq; esse subjectum Propositionis, medius terminus, minus vel
majus extreum in syllogismò &c.] Quis est, qui hoc in dubium
vocabit? Ita etiam Deum intra seriem conceptuum scilicet loco
fundamenti instar aliorum Individuorum ponit, supra se habens
Spiritum, substantiam in linea recta; Infinitum verò & immate-
riale in linea Collaterali tam manifestum est, ut qui de hoc dubi-
tare vellet, ipsum prorsus hanc rem non intelligere, penitus
existimarem.

X L . Hanc Doctrinam non nudius tertius natam;
sed ab ipso Aristotele expressissimè propositam accipimus & re-
tinemus, Ille n. lib. i. Eth. ad Nic. c. 4. t. 36. Præterea, inquit, cum
bonum totidem modis dicatur, quod illud, quod est [nam &
in substantia dicitur, ut Deus & mens, &c in Qualitate Virtus &
in Quantitate medicore & in eo quod est ad aliquid utile & in
tempore Occasio, & in Ubi diversatio, & alia hujusmodi.] pec-
spicuum est commune [intelligit Idæam Platonis] aliquod uni-
versale, & unum esse non posse &c. expressissimis hic verbis
Deus in Prædicamento Substantiæ constituitur. Potest & Videri
lib. i. Eudem. c. 8. lib. 5. Met. c. 7. t. 14. tenuerunt & hanc senten-
tiā Gregorius de Arimin. l. 1. disf. 8. q. 3. Gab. Bijel. ibidem. a. 7.
Mars. ibid. q. 12. a. 2. & communis totius Germaniæ Præceptor
Philipp. Melanchthon. l. 1. dialect. fol. 229. 24. 30. Mendoza. & Alij
quorum ad Argumenta contrariorum responsa videantur apud
ipsoꝝ; ne nos nimis diu hac in re detineamus.

¶ I. Non

X L I. Non igitur concludit Argumentum §. 32. ad
ductum proinde, posito, Deum in Prædicamento aliquo inclu-
dere absurdum esse, Consequentia tamen majoris non statim va-
let, neq; autem consequentiam Majoris posse probabili saltem
Argumento confirmari, Ideoq; quantum ad hoc argumentum
stat nostra, sententia, quæ quidem multis alijs Argumentis infrin-
gi posse videtur, sed haud inverso sensu termini ⁷⁸ Quidditativè
cognoscere, sufficienter illam defendere habemus; Quæ nec suis
destituitur antiquissimis Autoribus, siquidem ipsum Aristotelem
principem Philosophorum, Eandem docuisse multis ex locis in
conflictu publicè demōstrabimus, præunte Sohnero, animā cer-
tè Aristotelis, Professore olim Altorfino celeberrimo & post
Scherbium Peripatetio inter Germanos clarissimo.

X L I I. Posita jam quidditativa Dei notitiā, sequitur
statim Deum esse I. Ens. Quod etiamsi sit tam clarum, quam quod
clarissimum, attamen negatum fuit à Plotino, cui succenturiantur
delicatuli illi, qui Deum non Ens esse putant, sed Essentiam, idq;
ductu Pici Mirand. l. de Ente. & Uno & Scal. Exerc. 365. S. 6. Nos
vero probamus i. quicquid realiter & verè operatur: illud reali-
ter quoq; & verè existit, & per Consequens est Ens; at realiter & ³ verè
Deo convenite operationem constat. E. Major non indiget ^{4.} directe
probatione. Quomodo n. fingetur, quā ratione aliquid verè
operetur & tamen non sit, sive habeat Essentiam. Unde non inele-
ganter Plutarchus de primo fugido. Ut ipsius esse, inquit, conse-
quens est operari; ita ad non esse consequitur, non operati. 2.
Quicquid est extra nihil, illud necessariò existit & per Conseq.
est Ens, Ens enim est, quod est extra nihil, sed Deum esse extra
nihil patet, quia cognovimus nos ipsum, nihil vero nunquam
incurrit in aliquam cognitionem. E. Quomodo verò æquè bene
de Deo possit prædicari Ens [concretum] quam Essentia [Ab-
stractum] deinde perspicuum dabimus.

X L I I I. Statim jam posito Ente ponuntur & sequun-
tur etiā affectiones Entis, Quod Deus i. sit Unus Unitate Abstra-
ctā [de Unitate numerali & determinata disputare jam nolu-
mus; qui volunt adeant Morneum lib. de Ver. rel. Christ. c. 3. Suar. D.
M. 29. S. 2. Scheibl. Met. l. 2. c. 3. tit. 6. & alios] Si enim Deus non
esset

esset Unum, non etiam Ens esset. Cum omne Ens reciprocetur cum Uno. Est præterea tale Unum in Deo ponendum, quod non compositum est physicè Exmateria & forma, Subjecto & Accidente, sed est simplicissimum præter quod omne, quod est, compositionem incurrit.

X L I V. Patet inde I. quod Essentia & existentia in Deo minimè differant Scheibl. l. 1. c. 15. tit. 3. n. 25. II. Patet, quod Logicam Compositionem ex Genere & Differentia Deo non impiè & tribuamus absurdè quod alij statuunt, Si namque imperfectio aliqua huic Enti perfectissimo, infinito & simplicissimo, inde oriatur impietas damnandi essemus. Verum enim verò si observatur duplex illa Generis & Differentiae acceptio apud Dutrieu tr. 2. p. 2. c. 1. a. 1. q. 3. & Mend D. L. 4. S. 9. ar. d. 9. § 9, quod videlicet sumantur i. strictè & secundum mentem Porphyrij, 2. latiori significatu prout genus dicitur Conceptus communis essentialis & contrahibilis. Differentiaverò conceptus essentialis proprius, qualitativus & contrahens; Sanè non video, quomodo sententiæ nostræ absurditatem, demonstrare possint. Datur enim in Deo respectu nostri conceptus talis communis, de quo antea, spiritus; prædicatur enim ille tum de Deo, tum & de creaturis, etiam si analogicè. Item datur proprius conceptus, qui differentiam absolvere debet, vix licet independentia, quæ contrahit communem illum conceptum & soli Deo convenit.

X L V. 2. Cum Deus sit Ens, sequitur etiam veritatem transcendentalē, quæ cum Ente convertitur maximè, & eminenter, Deo maximè Entitatem habenti competere, ita ut ipse non tantum sit verus sed ipsa veritas, aliter etiam, quatenus veritas sumitur pro verò judicio de rebus.

X L VI. Dato, quod Deus sit Ens, datur etiam quod sit bonus & perfectus. Bonitatem enim transcendentalē in perfectione rei in suo esse confistere, ex Vatzquerz part. 1. disp. 77. c. 4. ejus compendiatore. Disp. 3. c. 6. not. 2. & Mendoz. Disp. meth. 7. alibi explicabitur quem admodum a. Deus magnus est sine quantitate ita etiam bonus est sine qualitate ut loquitur Aug. l. 8. de Trinit. c. 2. Et illa quoq; bonitas divina est causa bonitatis, quæ tribuitur

crea-

creaturis communicata à Deo , non subjectivè neq; formaliter sed è *ενεργητικώ* simulachrum seu imaginem suæ bonitatis in illis exprimendo, plura vide apud interpret. ad Thom. part. quæst. 6. Scheibl. l.2.c.3.n.300. &c.

XLVII. Deus itaq; perfectus est, ita ut Deo nihil deficit eorum, quæ habere debet, & proinde omni privatâ imperfectione careat, cum nil quicquam potentius Deo , ipsius Essentia adimere possit, Omne verò Ens, quod sui appetit conservationem, necessariò non nisi ab extrinseco aliquo potentiore imperfectum redditur. Imò nec suæ perfectitudini Deus obesse potest, quippe qui Ens simplicissimum, Omnes perfectiones per identitatem ad Essentiam suam habet, & sic ipsam Essentiam suam destrueret, quæ tamen prorsus immortalis est , Probante Suar. D. 3. s. 1 Et Lychett. l. d. 2. q. 1. Scheibl. l.2.c.3.n.318.

XLIX. Imperfectionem quod spectat negativam, illa certè Deo minimè attribui potest, cum Deo harum perfectionum, quæ in Genere Entis vel sunt, vel sunt possibles , nihil esse possit. Ipse est causa omnium perfectionum prima Efficiens; Id verò, quod non habet, dare non potest. Imò eminenter & in summo gradu perfectus est in ijs rebus , quæ aliquo modo perfecta in creatis dicuntur.

Deus itaq; solus nulla re indiget , unde Lucret. l.1. v.56.

Omnis enim [inquit] per se Divum natura necesse est
Immortali ævo summâ cum pace fruatur,
Semota at nostris rebus, sejunctaq; longe.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus nihil indiga nostri.
Et Triumegist. l. 5. quod in manifest. Deus manifest. f. Omnia, inquit, in te, omnia à te, omnia das & nihil accipis. Omnia habes, & nihil, quod non habes.

XLIX. I I . Relinquitur Deum esse substantiam, si enim Accidens esset, statim & imperfectum quid esset, & alij inhäret, & se quicquam prius haberet ; id quod absurdissimum. Ideoq; substantia à spirituali & Corporeâ abstrahens Genus Dei remotum constituitur.

C

L. Proxi-

L. III. Proximum huic Genus adjungimus, quod est spiritus, repugnat enim Deo, esse corpus, cum nullum infinitum & compositum ex Materia & forma possit esse, & omne materiatum sit potentiale. Proinde cum ratio formalis spiritus sit immaterialitas; Ea etiam, quæ ex tali ratione formalis fluunt, Deo non sunt deneganda, ut sunt illocabilitas, quantitas, immanitas, intellectus & voluntas, de quibus passim docti Autores, alijq; Pneumatices & Metaphysices scriptores contulii possunt. Nos, ne nimium excrescat Disputatio nostra hæc linquentes alterius inquirere pergitus, Quisnam sit proprius Dei conceptus. Est enim spiritus vel Dependens vel independens ex quibus unum Differentiam dicere necesse est.

L. I. Independentiam autem Solam Soli Deo esse, nec posse negari, etiam Cæco videre licet. Et hæc Differentia Dei est illa, quæ, ut prius dictum, radix est omnium, quæ de Deo dicuntur, Attributorum, quorum considerationem, si speciatim nobis sumeremus perlustrandam, Bone Deus! quam latissimus nobis aperiretur scribendi campus, adeo ut etiam omnem rationem & modum, omnesq; leges disputatorias transgredemur. Ideoq; hæc vice speciali illâ Attributorum Divinorum tractatione supersedentes in Genere saltem sequentes formatius quæstiones,

L. II. 1. An Attributa Divina sint de Essentia Divina? Affirmat suar. disp. 30. s. 6. Ductu hujus rationis; Quia, inquit, Deus ex vi sui esse necessarij ex se ipso est Ens essentialiter summè perfectum: Ergo præcisè conceptum hoc Ens secundum id quod est de Essentia ejus includit omnem possibilem perfectionem. Ergo Attributa, quæ significant has perfectiones simpliciter, ita in Deo continentur, ut sint de Essentia ejus. Nos vero Mendozæ ductu Disp. Met. 20. s. 2. §. 17. aliquid esse, de Essentia aliquis duplieiter stare pronunciamus, 1. in sensu Identico & ut res habet à parte rei. 2. Logice & sensu formalí, sive prout à nobis concipitur.

L. III. Priori modo conceditur Attributa Divina realiter esse eadem cum Essentia, alias illud absurdum inde sequetur

tur

tus, realem esse Compositionem Dei ex Essentia supervenientibus Attributis, Vid. Thom. 1. part. q. 19. Magist. Sent. ad 1. d. 19. & l. 4. d. 46, Scheibl. l. 2. c. 3. n. 110. Posteriori modo non item, nam quicquid secundariò in re aliqua concipitur & primum conceptum sequitur, est extra essentiam rei ejus, cuius est proprietas, sive Logice & sensu formalis non est de Essentiâ Divinâ. At verò perfectiones sive attributa Dei talia sunt, quæ secundariò concipiuntur & fluunt ex primo conceptu independentiâ. Illaq; nobis Solum Attributa dicuntur. Ergo, Et sic non omne id, quod secundum rem est idem cum essentia rei, est de primo ejus conceptu, sicut esse extensem, quod est ratio formalis Quantitatis primi in quantitate Concipitur, Divisibilitas vero [quæ secundum rem est eadem cum extensione, Quia tamen sequitur primum Conceptum sive extensionem] non est de essentia Quantitatis, sed extra illius essentiam & proprietas conceptusq; secundarius. Unde sponte fuit, Attributa Divina non esse de Essentia Dei in sensu formali, cum detur conceptus prior attributis, qui sit ratio & causa virtualis sic dicta attributorum.

L IV. Unde facilè responsio ad Argumentum Suaresij ante recensitum, unicuiq; patebit, & eadem est ratio distinctio-
nis attributorum inter se, quæ etiam ex parte rei sunt ipsa Essen-
tia Divina & tamen ratione differunt ratiocinata.

L V. 2. Quæritur, Quomodo de Deo Attributa Divina prædicentur, num Abstractivè, vel Concretivè; Resp Picus Mi-
rand. ut & Scaliger locis supra §. 39. citatis ideo negant Deum Ens vocari posse quod nullam concretivam prædicationem Deo valere arbitrantur. Quoniam [inquit Scaliger] multa Deo at-
tribuuntur ut omnipotens, omnisciens, misericors, pius, vindicta,
sanctus, fortis, immortalis, bonus, purum ens; haud rectè extor-
sit usus, ut sic loqueremur. Si enim denominativè de eo quic-
quam prædicaretur, abstractum esset tum aliud ab ipso, tum ab
ipso prius, quod sane impium est. Quare neq; ens est sed essentia,
neq; bonus, sed bonitas, neq; sapiens sed sapientia, neq; omni-
potens, sed omnipotentia, quæ ita in ipso sunt, ut sint ipsum, ita
insunt, ut nihil antecedat, nihil sequatur. Syllogismus ni fallor est

hic: De quo non prædicatur aliquid Denominativè, de' eo nec
in Concreto aliquid Prædicatur. Atqui de Deo nullus conceptus
potest prædicari Denominativè. Ergò. Minor probatur de quo
prædicatur aliquid Denominativè, in eo Abstractum tū est aliud
ab ipso, tum ipso prius. In Deo abstractum nec aliud est nec ipso
prius. Ergò.

L VI. Atqui si in hoc Scaligero assentiremus, ipsam scri-
pturam sacram sēpissimè in Concreto de Deo minus propriè
loquentem reformatre videremur. Ita enim Johannes *Apoc. 1.*
v.4. corrigendus esset, qui Ecclesijs in Asia salutem precatur his
verbis: *Gratia vobis & pax a nō tē d āv, & Christus Marc. 10. v.27.*
Quando dicit, nemo est bonus, nisi unus Deus, Et Paulus *Rom.*
6.v.27. Qui Deum vocat solū sapientem; usum itaq; haud rectè
extorsisse, Christo & Apostolis, ut sic loquerentur, blasphemum
est afferere. Mirum etiam est, cur Scaliger Deum Patrem, Deum
Patrem appellat & non potius Deitatem Paternitatem, cùm in
his & in suis Exemplis eadem sit ratio.

L VII. Quod attinet Argumentum Scaligeri, illud 1.
deductum est ex Particulari Majore, qua ratione vitium in for-
ma oritur, potest enim aliquid in Concreto de aliquo prædicari,
ut non prædicetur de eo Denominativè V. G. In hac propostio-
ne Album est coloratum, Concretum de aliquo prædicatur, cum
tamen univoca & non paronymica sit prædicatio. 2. Minor
etiam à nobis negatur, nam sic argumentamur: Quodcunq; de
aliquo prædicatur directè, ita ut forma Denominans non sit de
ejus essentia, id prædicatur de eo denominativè, atqui Attributa
Divina sic prædicantur de Essentia Divina. Ergò. Minorem
probavimus in decisione prioris quæstionis. Majorem, in ipso
Disputationis actu ex Aristotele exhibebimus.

L VIII. Quod autem Scaliger dicat Abstractum esse tum aliud ab
ipso, tū ipso prius indiget explicatione. Nam si intelligitur de eo,
secundum quod est prius & aliud realiter, negamus. Si verò de
eo etiam intelligatur, quod est aliud & prius ratione sive respe-
ctu nostri, affirmamus, nec tamen propterea absurditatem &
impietatem incurrimus, cum in Deo quoq; formam denomi-
nantem

nantem. E. G. Omnipotentiam esse, ratione tum aliam à Concreto. E. G. omnipotente, tum ipso priorē statuimus.

LIX. Atq; sufficiat sic in Genere de attributis tantum dixisse, proq; ratione nostri instituti primarias quæstiones ordine sanè diffuso & interrupto primis quasi digitis attigisse.

LX. Nōs cum Hermete in Pæmandro c. 1, nostram Disputationem ita concludimus : Sanctus es Deus Pater omnium ; Sanctus Deus cujus voluntas à proprijs impletur potestibus ; Sanctus Deus, qui tuis familiaribus innotescit ; Sanctus es, quem nunquam creavit natura ; Sanctus es omni potestate validior ; Sanctus es, omni excellentia major, Sanctus es omni laude melior. Excipe verborum sacrificia sancta ab anima & tibi dedito corde manātia : ineffabilis solo silētio prædicande ab eo, qui fal-lacias veræ cognitioni contrarias declinavit. Annue, corroborame, atq; hujus gratiæ participes effice eos, qui in ignorantia ver-santur, ipse Pater es venerandus, Homo autem tuus sanctitate una tecum potiri exoptat, cum potestate illi omnium arbitri-um q; concederis.

Doctorum judicium de his propositionibus,

Deus est Pater, & Pater est Deus,

1. *An sint identicæ, an formales ?*
2. *An essentiales, an accidentale ?*
3. *Quanam harum directa & naturalis, vel indirecta, exspectamus ; Nos quid domi sentiamus, in conflictu aperiemus.*

F I N I S.

os(O)so

Doctissimo Dn. Respondenti

Dn. Theodoro Schambachio

Philosophicè disputanti,

THEODORICUS SCHAMBACHIUS

αναγενησαντ.

exspirant. spirit.

CARUS ORBI AC MUSIS DOTE.

Montes & fontes, qui vult, parexciter omnes
Musarum, in clario cultor Apollo choro,
Ut tibi gratatum veniat Septemplice cultu
Docta novena animo Musica turba bono,
Te, THEODORE, canens, qui è fonte modestiae amæno
Plenum Aganippæ humore bibisq; Sophos.
Tantus amor studij, Te flammat & influit, ORBIS ut
Et MUSIS CARUS cælite DOTE cluas.
Esto, quod esse verecundata modestia fontis
Te sacri inq; Deimunere jussit agens.
Quâ virtute vales habituq; hanc exsere in actu,
Claram in præsentem remq; veni, Ensq; cole.
Tam sublime negativè, quod sumitur extra
Has causas esse existere, cuncta tenens.
Non positivè extra causas Deus ille Jehova est:
Est sine causâ aliquid perficiens quod agit.
Quod facit arte facit divina, id quicquid & Entis,
Et mentis fecit, qui benefecit Herus.
A se extra causas est sic, itaq; argui id unâ
Existens sic nil impedit Ensq; Deum:

Pro-



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729457729/phys_0025](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729457729/phys_0025)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
rosdok/ppn729457729/phys_0026](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729457729/phys_0026)


DFG

tur, realem esse Compositionem Dei ex Ebus Attributis, Vid. Thom. i. part. q. 19. Mag. & d. 46, Scheibl. l. 2. c. 3. n. 110. Posteriori n. quicquid secundariò in re aliqua concipitur tum sequitur, est extra essentiam rei ejus, cui Logicè & sensu formalí non est de Essentiā fectiones sive attributa Dei talia sunt, quæ untur & fluunt ex primo conceptu independē Solum Attributa dicuntur. Ergo, Et sic nō cūdum rem est idem cum essentia rei, est de tu, sicut esse extensum, quod est ratio forma in quantitate Concipitur, Divisibilitas v. rem est eadem cum extensione, Quia tam Conceptum sive extensionem] non est de sed extra illius essentiam & proprietas conc. Unde sponte fuit, Attributa Divina non es sensu formalí, cum detur conceptus prior at & causa virtualis sic dicta attributorum.

LIV. Unde facilē responsio ad A ante recensitum, unicuiq; patebit, & eadem nis attributorum inter se, quæ etiam ex par tia Divina & tamen ratione differunt ratioc.

L V. 2. Quæritur, Quomodo de D prædicentur, num Abstractivè, vel Concre rand. ut & Scaliger locis supra S. 39. citat Ens vocari posse quod nullam concretivam valere arbitrantur. Quoniam [inquit Sca tribuuntur ut omnipotens, omnisciens, misericordia, fortis, immortalis, bonus, purum en sit usus, ut sic loqueremur. Si enim denon quam prædicaretur, abstractum esset tum a ipso prius, quod sane impium est. Quare neq; bonus, sed bonitas, neq; sapiens sed sapientia, potens, sed omnipotentia, quæ ita in ipso su insunt, ut nihil antecedat, nihil sequatur. Sy

C 2



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. C 1 B 1 A 1 C 2 B 2 A 2 B 5 A 5 20 18 17 16 11